

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XLIV.

*S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.*

**B**inas à te literas, pristinae erga me & sinceræ ac constantis benevolentiaæ fidei tuæ testes, circa Idus Julii & Calend. Sept. datas, rectè accepi. De reditu in Patriæ Academiam, non tibi solum ac tuis, sed toti Ecclesiæ ac Scholæ vestræ, & omnibus Germanicis cum illa consentientibus, gratulor. Ecclesiæ & Academiæ vestræ statum, DEI beneficio tranquillum & felicem, summa cum voluptate ex literis tuis cognovi. De Reipublicæ Senatibus XIII. Virorum & XV. & XXIV. virorum an officiis, aut negociis tractandis distincti? & in quo Senatu, summi urbis Magistri, prætores ac consules, ad Reipublicæ summam pertinentia tractent? doceri à te aliquando optarim. Semiepi- scopus vester, marchio Joh. Georgius, nuptiis fratris Joh. Sigismundi, & Annæ, ægri Borussia ducis filiaæ, Regiomonti hoc mense adest, an Letharingus bona fide societatem cum illo colat, ex te cognoscere velim. Defensionem veræ sententiæ de Eucharistia tuam, superiori anno ediram totam ferè perspexi, & candide probo. *ὁ γὰρ ἄλλοις τῷ ὀρθῷ λόγῳ μὴ συγχρῆν.* Pagellas Refutationi tuæ oppositas, nondum vidi, nec, ut verum fatear, videre cupio. Satur enim sum talium *περὶ σφάταις* & nugarum, in quibus nimium altercandu veritas amittitur. & veræ pietatis studium omne extingitur. Perinde ac si Theologia sine verba, ut lucus ligna, quemadmodum Horatius de Philosophorum, veræ virtutis studium negligentium & sophismatis solis certantium, sectis, loquitur. Antapodoma tuum nondum ad nos allatum est, nec in catalogo annotatum vidi. Quod orationis isthuc habitæ exempla mecum communicasti, reverenter gratiam habeo. Alteram quoque, certaminis Nestoriani historiam continentem, libenter legi. Quam, cum tabellarium rectè isthuc euntem habeo, (nam hic Spiræ sublitet) ad te remittam. Hastenus de prioris epistolæ tuæ capitibus præcipuis ordine respondi. Quod ad posteriorem attinet, mirifice M. Brasilius eximiam erga se benevolentiam, fidem & humanitatem tuam, & officia hospitalia, isthuc sibi tributa prædicat. Quare & ipsius & meo nomine, tibi gratias ago, & nostra studia & officia qualiacunque vicissim tibi ac tuis defero. Ungaricæ expeditionis nostræ adeo fœdum & miserabilem exitum meminisse horret animus, luctuque refugit. **DEUM** oro, ut ipse ecclesiam suam, & nos in ea, servet doceat & gubernet. Bene & feliciter vale. Postridie Simonis & Judæ Apostolorum. Anno. 1594.

David Chytræus.

Ccc cc

XLV.